



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De Sacramentis nonæ legis. A. B. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

tumcunque per fidem & charitatem ante habita-  
tam, aliquis iustus ad baptismum accedit, vberior  
remibi recipit gratiam, sed non ita in circumci-  
sione. Vnde Abrahæ per fidem iam iustificato si-  
gnaculum tantum fuit, nihil ei intus contulit.

De paruulis defunctis ante diem octauum. I

Si verò quæritur de paruulis, qui ante diē octa- Hic non te-  
uum moriebantur, antequam siebat circumcisio netur.  
ex legē, utrum saluarentur vel non? Idem potest  
responderi quod sentitur de paruulis ante baptis-  
mum defunctis: quos pereire constat. Vnde Beda, *Bed. hom. ii.*  
qui nunc per Evangelium suum terribiliter & sa- de sanctis  
lubriter clamat. Ni si quis renatus fuerit ex aqua hiemalib. in  
& Spir. S. non intrabit in regnum Dei: ipse dudum die circum-  
clamabat per suam legem. Masculis cuius preputii cisionis Do-  
caro circumcisā non fuerit, anima illa peribit de mini ad pr.  
populo suo: quia pactum meum irritum fecit. For-  
tè tamen sub lege ingruente necessitate mortis  
ante octauum diem circumcidébat sine peccato  
filios, sicut modo fit in Ecclesia de baptismo.

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

DISTINCT. II. A

Am ad sacramenta nouæ legis accedamus: quæ De sacra-  
sunt Baptismus, Confirmatio, Panis benedictio, mentis in  
id est, Eucharistia, Pœnitentia, Vnctio extrema, speciali.  
Ordo, Coniugium. Quorum alia remedium con-  
tra peccatum præbent, & gratiam adiutricem  
conferunt ut baptismus: alia remedium tantum  
sunt, ut coniugium, alia gratia & virtute nos ful- Hic non te-  
ciunt, ut Eucharistia & Ordo. netur.

Quare mox post hominis casum non fuerint instituta. B

Si vero quæritur. Quare non fuerint hæc sacra-  
menta instituta mox post hominis lapsum, cum in  
his sit iustitia & salus? Dicimus non ante aduen-  
tum Christi qui gratiam attulit, gratiæ sacramen-  
ta fuisse danda: quæ ex ipsius morte & passione  
virtutem sortita sunt. Christus autem venire no-  
lit,

Huius, autem quām homo de lege naturali, & scriptā  
conuinceretur, quod neutra iuuari possit.

*Quod sacramentum coniugii fuit ante peccatum.* C

*Genes. 3. d.*

Fuit tamen coniugium ante peccatum institutum: non utique propter remedium sed ad sacramentum, & ad officium: post peccatum vero fuit ad remedium contra carnalis concupiscentiae corruptelam: de quo suo loco tractabitur.

*De Baptismo.*

D

*De baptismo* Nunc vero de baptismi sacramento videamus;  
*Ioannis,* quod inter nouæ gratiæ sacramenta primum est.  
*Matth. 3. c* Baptismum igitur Christi Ioannes sub baptismo  
*De differen-* prænuntiauit: qui primus baptizasse legitur, sed  
*tia baptismi* in aqua, non in spiritu sicut ipse ait. Ego baptizo  
*Ioannis &* vos in aqua, in pœnitentiam. Sola enim corpora  
*Christi.* abluebat, à peccatis vero non mundabat. Baptismus  
*Act. 19. a* Ioan. erat in pœnitentiam, non remissionē:  
*Ioan. 1. d* Baptismus vero Christi, in remissionē. Quia Ioan.  
*Matth. 3. b* baptizans homines, ad pœnitentiam vocabat: &  
*Marc. 1. a* quos baptizabat, pœnitere docebat: secundum illud. Veniebant ad Ioan. in Iordanem consentes  
*Luc. 3. b* peccata sua. Sed in baptismō Ioā. nō dabatur peccatorū remissio, quæ data est in Christi baptismo.

*Quid utilitatis habebat baptismus Ioannis.* E

Ad quid ergo utiliserat baptismus Ioannis? Quia homines vsu baptizandi præparabat ad baptismum Christi. Sed quæritur, Quare dictus est baptismus Ioan. sicut veritas dicit, Baptismus Ioan. vnde est? Quia ibi Ioan. operatio tantum visibilis erat exterius lauantis nō inuisibilis gratia Dei interioris operantis. Sed tamen & illa Ioā. operatio à Deo erat, & baptismus ille à Deo erat, non ab hominete tantum, sed hominis dictus est, quia nihil ibi gerebatur, quod non ageret homo. Si vero quæritur, An sacramentum fuerit, satis potest concedi ex eo sensu, quo legalia signa dicuntur sacramenta. Significabat enim baptismus Ioā. rem sacram,

scilicet